



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Disputatio 12. De Satisfactione ex Commutativa Institia, & de Essentia  
Redemptionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

hoc recte gubernationi obstat, eaque de causa triumpharent vitia, non tamen ipsum dederet obsequia fervorem non praemiare, sed ea potius exigere titulo servitutis; sic Dominus recte gubernat servos puniendo eorum delicta, quamquam merita non praemiet, sed exigit titulo servitutis; quin potius plurimis modis Deus facere potest, ut vitia non triumpharent, quamvis non puniret, neque in hoc excogitabilis est paritas ab homine ad Deum per limitationem hominis, & infinitam potentiam Dei.

489. Ex his perspicue apparet non posse ab illis Theologis recte negari pactum initum inter Filium missum, & Patrem mittentem; cum enim unicum Christum meritum, utpote simpliciter infinitum, imò & unica gutta sanguinis propter unionem ad Verbum, ut ait Clem. VI. num. 384. satis esset ad redemptionem totius generis humani, non est assignabilis alia ratio Sacris Scripturis, & Conciliis, & PP. consentanea; cum Christus non redemerit nos in actu secundo ante mortem, sed intercedente morte, ut ait Paulus ad Rom. 5. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filij ejus*; nisi quia, ut ea merita obligarent Deum, opus erat juxta pactum, ut morte ipsius Christi confirmata essent; tale quidem pactum satis indicatum est Ilsa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*; quod, cum Christus, ut fidejussor noster acceptaverit, & impleverit juxta illud Eccl. 19. *Gratiam fidejussoris non obliviscaris, dedit enim pro te animam suam* subjungit textus: *Ideo disperdiam ei plurimos, & fortium dividet spolia*, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam. Pactum enim illud exigebat, ut Christus omnia sua merita nobis

applicaret novo testamento, rato, & confirmato; nam ita factus est fidejussor noster, ut ait Paulus ad Hebræos 7. *melioris testamenti sponsor factus est Christus*. Cùmque ante mortem testatoris nondum sit testamentum confirmatum, sed revocabile, & per mortem testatoris confirmetur, ut dicitur Lege prima digestis de testamentis. *Testamentum est voluntatis nostrae justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult*. Exinde ad redemptionem nostram in actu secundo vi pacti requirebatur, ut Christi mors intercederet. Neque de hoc videtur dubitare, nisi qui Apostolum non legerit ad Hebræos 9. ubi de Christo ait. *Ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem eorum pravaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis, ubi enim testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, qui dum vivit, qui testatus est; quae Verba Verf. 15. ita exponit Cornelius. Idque ita exigente, & flagitante Patris justitia, quasi Pater Filio dixerit: Si vis me hominibus parcere o Filii, qui tam graviter in me peccarunt, necesse est, ut pro eis moriaris; sanguinemque tuum profundas, quia justitia mea, legibus, & decreto meo aeterno de puniendo peccato satisfacere volo; Filius vero id ipsum accepit, & summo jure ad terminum usque cuncta nostra debita Patri persolvit, fecitque, ut sine metu, & nudo (quod ajunt) capite coram Deo, & Angelis ambularem, atque animos, spesque nostras in Deum erigeremus; omitto plura, quia haec satis superque sunt.*

\* \*

## DISPUTATIO XII.

### DE SATISFACTIONE EX COMMUTATIVA JUSTITIA, ET DE ESSENTIA REDEMPTIONIS.

490. Conditiones ad justitiam commutativam requisitas dedimus in iractatu de justitia, & jure à num. 520. & juxta aliquas ex illis decidenda est praesens controversia. Unde non est quaestio de justitia generali, quae convenit unicuique virtuti, prout implet, & adaequat obligationem requisitam ad praeccepti adimpletionem, atque ad impediendam transgressionem, quo in sensu quaecunque virtus, & quaecunque rectitudo dicitur justitia. Sic Marth. 3. *Decet nos implere omnem justitiam*; id est exercere omnem actum virtutis, quo in sensu gratia habitualis, quia est radicalis rectitudo, & forma justificationis, vocatur justitia à Concilio Tridentino sels. 6. cap. 7. *Unica formalis causa est justitia Dei non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donari renovamur Spiritu nostrae mentis, & non modo reputamur, sed verè justii nominamur*.

mur, & sumus justitiam in nobis recipientes; Sumpta etenim justitia in hoc sensu frequenter in Conciliis, & Scripturis, certum est Christi satisfactionem fuisse ex justitia, cum fuerit alicujus, vel plurium virtutum actus, sancta itidem, & perfecta, quamobrem, quaestio praesens non est de hujusmodi justitia, sed de justitia commutativa. Omnis ergo conditionibus, quae ad resolutionem praesentem non conducunt, dabimus eas, quae ad istam controversiam decidendam maxime necessariae sunt.

#### SECTIO I.

##### Proponitur, & resolvitur Controversia.

Suppono 1. Ex dictis num. 179. de justitia 491. & jure jus proprietatis ita definiti: *Legitima*

*rima potestas directè & principaliter in commodum propriae libertatis ad restringendam moraliter per voluntatem suam libertatem alterius. Qui enim caret tali legitima potestate, eò ipso caret jure proprietatis, licet habeat rem sibi obstrictam vi voti, aut cujuscunque alterius virtutis, aut præcepti, quo fit, ut sint plura peccata contra conscientiam, quæ non sunt contra justitiam commutativam, ut ibi diximus. Idcirco si quis faciat contractum ex pura fidelitate, & non ex justitia commutativa, ita, ut fidem suam tantum offerat, quòd alteri donum conferet, quin velit cedere integræ facultati, vel alicui particulæ illius facultatis constitutivæ juris proprietatis, & contractum, postea non adimpleret, non peccaret contra justitiam commutativam, sed duntaxat contra fidelitatem, ut dixi in tractatu de justitia n. 666. quamquam enim peccatū verumque sit malum, si nempe contractus non adimpleatur, vel ad justitiam commutativam, vel ad fidelitatem pertinens, est tamen in diversa specie mali, licet unaquæque ex his sufficiat ad peccatum usuræ, ut constat ex Innoc. XI. Hanc 42. inter 65. propositiones damnante; *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigitur tanquam ex justitia debitum.**

492.

Suppono 2. Justitiam plura habere significata non in vulgari tantum hominum locutione, sed etiam in Jure Canonico, & civili, tum etiam in Concilijs, PP. & Scripturis, ut diximus à num. 1. & 116. de justitia & in jure, quia potius quæcumque reconditio virtutis vocatur in Sacra Scriptura justitia, ut constat ex num. 490. quamobrem cum Sacra Scriptura dicit, aliquid deberi ex justitia, non potest exponi, de quo genere justitiæ loquatur, nisi attendendo ad subjectam materiam, & inquirendo, an materia, de qua est sermo, comprehendat obligationem pertinentem ad justitiam commutativam, an ad solam fidelitatem, vel aliam virtutem, quæ nomine justitiæ donatur; quod elarè tradit Tridentin. sess. 6. cap. 16. ubi ait: *Benè operantibus usq. in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filij Dei per JESUM Christum fideliter promissa, & tanquam ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositum sibi esse ajebat Apostolus à justo judice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed, & omnibus, qui diligunt adventum ejus;* quibus Verbis satis ostendit Tridentinum, obligationem compensandi merita nostra oriri in Deo à sua promissione, & fidelitate de compensanda congruitate meritorum in actu primo, atque in hoc stare conceptum justitiæ in ipso Deo, quatenus non potest infideliter agere, & sic non potest non adimplere suam fidem, & promissionem. Quomodo usus pacti distinguatur à dominio & jure proprietatis, diximus à num.

374. de justitia, & jure vide num. 53. His politis

Prima sententia docet, Christum pro nobis satisfecisse, & DEUM remunerasse ex justitia commutativa rigorosa. Unde juxta Auctores satisfactio Christi, & remuneratio Dei fuerunt actus rigorosæ justitiæ commutativæ, ita, ut Christus exhibendo suam satisfactionem acquisiverit jus commutativæ justitiæ adversus Deum taliter, ut, si per impossibile Deus non servaret illæsum jus illud Christi Domini, retribuendo auxilia, & gratiæ remissionem peccati, ad quæ obrinenda, & conferenda hominibus Christus sua merita & satisfactionem ordinavit, Deus faceret contra justitiam commutativam, veramque injuriam Christo irrogaret, ita plures ex nostris, & Thomistis, quos sequuntur Gonner. disput. 4. art. 4. Contention. aliique moderni. Secunda sententia defendit, satisfactionem Christi fuisse de rigorosa justitia commutativa pro peccatis incarnationem subsequenter, non verò pro peccatis præcedentibus incarnationem; ita aliqui lapsi nomine citati à Bernal. tertia sententia ait, aliqua peccata esse, quæ continent veram injustitiam adversus Deum, utpote directè pugnantia contra honorem Deo debitum, & pro his Christum satisfecisse ex toto rigore justitiæ commutativæ; alia verò esse peccata, quæ talem injustitiæ non continent adversus Deum, sed solum rationem inobedienciæ, pro quibus Christus non satisfecit ex justitia commutativa; ita aliqui citati à Gaspare Hurt. Quarta sententia tenet, satisfactionem Christi non fuisse de rigore justitiæ commutativæ, quamquam fuerit revera superabundans; ita Vasquez, Lugo, Bernal, Elparza, pluresque alij, quos refert Ripalda disput. 163. de Ente supernaturali sect. 1.

Affero cum quarta sententia: Christus non satisfecit Deo pro peccatis nostris ex rigorosa justitia commutativa. Probat 1. Ut Christi satisfactio esset ex rigorosa justitia commutativa, opus erat, ut acquireret jus proprietatis adversus Deum, quo ipsum obligaret ad conferendam gratiam hominibus ad remissionem peccatorum & justificationem illorum requisitam, ita, ut si per impossibile Deus exhibita Christi satisfactione non conferret talem gratiam, aut peccatum non remitteret, contraheret injustitiam commutativam, irrogaretque injuriam Christo; sed Christus non potuit sua satisfactione acquirere tale jus adversus Deum; ergo illius satisfactio non potuit esse ex rigorosa justitia commutativa. Major est explicatio justitiæ commutativæ, quam dedimus num. 419. & ab ipsis admittitur: minor verò probatur: Deus, utpote essentialiter Dominus suarum creaturarum, nequit ab ullo privari dominio perfectissimo absoluto, & plenissimo erga omnes suas creaturas, cum hæc dominium funderet in ipsa natura divina, quæ Deus privari non potest; unde nulla particu-

la juris proprietatis potest deficere DEO circa ullam creaturam; sed hoc indispensabiliter requirebatur, ut Christus acquireret jus proprietatis contra Deum; ergo &c.

495. Confirmatur 1. Deus ex titulo Dei essentialiter habet plenum dominium circa quamlibet creaturam, ac proinde potest illà uti; ut voluerit absque injuria alterius; atqui si Christus per suam satisfactionem acquireret jus proprietatis contra Deum circa dona gratiæ, non posset Deus uti illis donis, ut voluerit absque injuria Christi; ergo &c. Confirmatur 2. Ex Vasquez: qui alteri satisfacit ex rigore justitiæ commutativæ, statim atque creditor accipit condignam satisfactionem, manet extinctum jus totum proprietatis creditoris, sic qui debet quatuor Petro, statim atque Petro reddit, extinguit totum jus proprietatis Petri adversus illum; atqui Christus offerendo suam satisfactionem, non ita extinxit totum jus Dei contra peccatorem, aliter mansissent statim actualiter, & absolute remissa omnium hominum peccata, quod aperte est falsum; cum eo ipso tempore fuerint plures peccatores, & post illud tempus omnes in conceptione contrahunt peccatum originale: ergo &c.

496. Probatur 2. Si Christus sua satisfactione posset acquirere jus proprietatis adversus Deum, ita, ut Deus esset injustus, si dona sua non conferret, eò ipso non maneret Deus cum absoluto, & pleno dominio suorum donorum; sed impossibile est, Deum esse Deum, & non habere plenum, & absolutum dominium suorum donorum, cum titulus talis domini sit ipsa essentia divina; siquidem Deus quia Deus est absolute, & plenè Dominus omnium creaturarum; ergo impossibile est, quòd Christus sua satisfactione posset acquirere jus proprietatis adversus Deum. Min. & conseq. tenent; major autem patet: nam quòd aliqua actio sit ita justa, provenit à facultate, sive dominio morali, quo agens potest disponere, vel non disponere pro libitù suo de re sine alterius injuria; sicut quòd aliqua actio sit libera, provenit à libertate, seu dominio, quo agens potest ponere, vel non ponere illam sine impedimento ad utrumque: ergo sicut actio nequit esse libera, si detur impedimentum, ne agens pro libitù suo possit tendere ad utrumque, ita nequit esse commutativa justitia, si agens non possit pro libitù suo disponere, vel non disponere de re sine alterius injuria; atqui si satisfactio Christi fuisset ex rigoro commutativa, non posset Deus disponere de suis donis, ea non conferendo sine injuria Christi; ergo non esset actio absoluta, & pleni domini proprietatis Dei.

497. Probatur 3. Christus non potest sua satisfactione acquirere jus proprietatis contra Deum, quin habeat dominium morale proprietatis distinctum à dominio Dei, sed non habet tale dominium: ergo &c. Maj. patet; quia ideo servus ut servus, quidquid acquirit, Domi-

no acquirit, & Filius, nondum mancipatus, nec habens bona castrensis, sive quasi castrensis non fructificat sibi, sed Patri, & quidquid acquirit, Patri acquirit; quia nec servus ut servus habet dominium moraliter distinctum à dominio Domini, sive quod idem est, quod quidem non sit sub dominio proprietatis Domini, nec talis Filius habet dominium proprietatis, quod non sit sub dominio proprietatis Patris, ideòque quidquid acquirit, alteri acquirit. Min. verò probatur: totus Christus satisfaciens adæquatè est Dei; ergo non potest acquirere jus proprietatis contra Deum. Probatur antec. personalitas est Dei per identitatem, humanitatis unio hypostatica, & ipse actus satisfactionis sunt Dei tanquam Domini proprietatis ipsorum ratione essentialis dependentiæ illorum à Deo, quam dependentiam habet indispensabiliter quælibet res creata titulo creationis; ergo totus Christus satisfaciens est adæquatè Dei.

498. Confirmatur 1. Christus multò magis est Dei, quàm servus Domini, & Filius nondum emancipatus sit Patris. Siquidem Christus essentialiter est Dei, servus autem & filius accidentaliter sunt Domini, & Patris, cum cessare possit eorum subjectio; atqui prædicti Filius, & servus, ut tales, nequeunt acquirere strictum justitiæ jus contra Patrem, & Dominum; ergo nec Christus adversus Deum. Dixi prædicti Filius, & servus, ut tales; quia cum sint accidentaliter subjecti dominio alterius, possunt in aliquibus absolvi à tali dominio, & tunc acquirere jus adversus Patrem, & Dominum quamquam ut subjecti non possint acquirere tale jus, in eo nempe, in quo subjecti sunt; at creaturæ non accidentaliter, sed essentialiter subjiciuntur dominio proprietatis Dei, & nullo modo absolvi possunt à tali subjectione, cum divinitus fieri nequeat, ut Deus non sit Deus, & creaturæ non sint creaturæ; ac proinde quidquid acquirunt, indispensabiliter acquirunt creatori; unde quamvis sint instrumenta libera potentia facere, vel non facere, quod Dominus vult, sunt tamen instrumenta libera essentialiter constituta sub dominio proprietatis creatoris; ideòque quidquid liberè agunt, manet sub jure proprietatis Dei Domini sui. Confirmatur 2. Deus non potest inire pactum cum Christo, sive possit eximere opera Christi à ratione creaturarum, sive à subjectione, quam habeant ad dominium proprietatis Dei, quod necessum est ad pactum pertinens ad justitiam commutativam, contradistinctum à pacto pertinente ad fidelitatem; ergo neque ex titulo operationum, neque ex titulo pacti potest Christus acquirere jus proprietatis contra Deum.

499. Respondet Gonnet dist. 4. de Incarnat. art. 5. cap. 2. Licet inter Patrem, & Filium nondum emancipatum reperiri non possit justitia commutativa, neque inter servum, & Dominum; at posse quàm optimè reperiri inter Chri-

Christum & Deum, quia apud homines filius, ut talis nihil habet, quod à Patre per voluntariam, & gratuitam communicationem non accepit, & similiter servus nihil habet, quod non pertineat ad Dominum, cui legali vinculo subicitur, imò filius in creatis nequit redere aliquid æquivalens aut adæquans esse naturale, quod à Patre gratuita communicatione suscepit, hæc autem in Christo locum non habent, quia cum sit Deus simul & homo, ratione suppositi divini habet æquale jus, & dominium in propriis operationes, ac ipse Deus. Unde est ipsi æqualis in jure proprietatis, & licet sit Filius, recipit à Patre, sed non sicut in humanis, gratuito, necessariò & per modum naturæ, nec secundum divinitatem est inferior, sed æqualis Patri ex illo Pauli ad Philippenf. 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo;* Unde inter Christum, & Deum facilius, quàm inter servum, & Dominum, Patrem, & Filium in humanis reperiri potest justitia commutativa, hæc Gonnetus; sed quis non videat Adversarium suismet Verbis gravioribus difficultatibus irretitum? quare.

500.

Contra 1. Licet Christus, ut Deus sit æqualis Patri, at, ut Deus nullum jus potest acquirere contra Patrem, cum non sit distinctus Deus à Patre, aliter cum Polytheistis admitteret Gonnetus plures Deos; ergo modo, quo est æqualis, non potest acquirere illud jus proprietatis contra Patrem. Contra 2. licet persona filii sit distincta à persona Patris, attamen jus, quo creaturæ subijciuntur dominio Dei, utpote fundarum in natura divina, est idem jus cum jure Patris; ergo ratione Domini, quod in Christo, ut filio Dei reperitur, neque acquireret Christus proprietatis jus contra Patrem. Contra 3. Licet meritum Christi, utpote constitutum ex dignitate Verbi, sit summi, & infiniti valoris apud Patrem nihilominus idem meritum constat etiam actione creatæ; sed actio creata Christi, utpote essentialiter creatura nequit eximi à dominio proprietatis Dei; ergo licet meritum Christi sit summi valoris apud Deum, nequit vi illius Christus acquirere jus proprietatis contra Deum.

501.

Contra 2. Licet persona Verbi sit æqualis personæ Patris, attamen nullum specialem influxum activum potest præstare circa actiones humanitatis, quam eandem non præstet persona Patris, cum activus influxus proveniat ab omnipotentia, quæ est identificata cum tribus personis; ergo non potest acquirere cum humanitate aliquid jus proprietatis, quod non habet persona Patris. Patet Conf. ideò licet persona filii sit distincta realiter à persona Patris, nequit præstare aliquem influxum activum, quem non præstet etiam persona Patris, quia influere ad extra provenit ab omnipotentia, ut tali, quæ communis est Filio, & Patri; ergo &c. Contra 3. Ad hominem, nihil reperitur in filio, quod non sit identificatum cum Patre, nisi sola personalitas filii, sed

personalitas filii per se nullam dicit perfectiorem; ergo nullum perfectum dominium proprietatis potest acquirere filius, quod non sit etiam dominium Patris. Ex dictis.

Fit 1. non posse Deum emancipare Christum cedendo juri proprietatis circa opera ab humanitate elicita. Ratio est; quia jus proprietatis Dei circa illa opera stat in ipsa natura divina, qua Deus privari non potest. Unde non potest fieri recursus ad jus passum, quo Deus obligetur ex justitia commutativa contractus: nam jus proprietatis ideò fundatur in ipsa natura divina, quæ basia non est, nec Deus potest illa se expoliare, ne retineat jus proprietatis circa quælibet creaturæ; unde licet possit creatura facere contra jus proprietatis Dei, qua non ponendo, quod DUES ex jure suo exigit, ac proinde committendo injustitiam, non tamen potest Deum ex justitia commutativa obligare, cum non possit elicere opus aliquod exemptum à jure proprietatis Dei, vel quo extinguat aliquam particulam juris proprietatis Dei, quamobrem jus applicabile & accidentale, quod Deus acquirit contra peccatorem per peccatum ad indignitatem, & punitionem, non potest ex justitia commutativa auferri à creatura, siquidem quæcumque actio creata apponatur, manet sub inextinguibili jure divino proprietatis; Unde ex sola fidelitate potest Deus obligari ad cedendum illi juri acquisito, non autem ex ullo jure proprietatis creaturæ contra Deum.

Fit 2. Non posse Deum sibi imponere omnes justitiæ commutativæ circa creaturæ ullam vi potest; ratio est; quia non potest ulla vi pacti sibi imponere opus, quo creaturam, vel operationem creatam eximat à jure proprietatis inextinguibili, ac proinde non potest creatura ulla actione sua extinguere particulam ullam juris proprietatis Dei, ne Deus, si voluerit, iterum ex jure suo repetat à creatura eandem, aut phisicè, aut moraliter actionem, quam semel exhibuit; sicut tamen natura divina indivisibilis est, & essentialiter inamissibilis, & quo ad totum, & quoad quamlibet ipsius particulam, ita est inamissibile jus proprietatis Dei, & quoad totum, & quoad quamlibet illius particulam, relatè ad quamcumque creaturam, unde fit, Deum non posse ex justitia commutativa ligatum habere tale jus, cum nullus sit superior Deo, à quo ligari possit, vel à quo fieri possit, ut actio creaturæ creata non sit, nec maneat subjecta essentiali dominio proprietatis Dei.

Cum enim essenziale dominium proprietatis Dei perfectissimum sit, & ad quæcumque creata se extendens, nullus apparet titulus, res bene expendatur, ut creatura in aliquo possibili hypothefi acquirere possit jus proprietatis contra Deum, quo respexere Sancti Patres dicentes; Deum nunquam obligari creaturæ ex justitia commutativa, licet obligetur ex fidelitate, sic Div. Thomas locis adductis tract.

Tract. de justitia & jure num. 528. 541. & 552. dum etiam Bernardus Serm. 1. de Annuntiatione; *Neque sunt talia hominum merita, ut propter ea vita aeterna debeatur ex jure, aut propter ea Deus injustitiam aliquam faceret, nisi eam donaret; & Anselmum in Prologo cap. 10. Justus es, non quia reddis nobis debita, sed quia facis quod te docet: sic etiam Augustinus lib. 1. Confels. cap. 4. reddis debita nulli debens, & lib. 3. de libero arbitrio cap. 16. Deus nulli debet aliquid, quid ergo ei prerogas, ut tanquam debitum poscas?* Ex quibus apparet DEUM eum non dici operari justitiam erga homines, nisi quatenus justus, seu fideliter se gerit erga illos, eorum justitiam, sive merita compensando; unde quod Deus non possit poenam infligere propter peccata Petri, si omnia illius peccata, quoad culpam, & poenam remiserit, non procedit ex eo, quod creatura se ipsa potuerit extingere jus Dei, sed quia Deus ex sua promissione voluit cedere tali juri, & tollere materiam poenae; ideoque licet possit torquere, non tamen potest infligere poenam ex defectu materiae praerequisitae essentialiter ad poenam.

505. Fit 3. Non posse fieri recursum ad dominium duorum in solidum 1. quia tale dominium duorum repugnat essentialiter, ut diximus à num. 569. De justitia, & jure. 2. quia licet non repugnaret relatè ad alteros Dominos, quorum unus non esset essentialiter servus alterius, at relatè ad servum, ut talem respectu Domini omnino repugnat; siquidem servus, ut talis nihil sibi, sed Domino acquirit, habetque se, ut instrumentum liberum, subiectum juri proprietatis domini; cum autem creaturae sint essentialiter servae relatè ad Deum; & inde non possit, nisi per fictionem concipi dominium proprietatis circa eandem rem in creatura simul, & Deo tanquam in duobus plenè Dominis; idcirco creatura relatè ad Deum tantum habere potest simplicem usum facti, licet relatè ad alteras creaturas possit habere creatum dominium, ut dixi à num. 563. de just. & jure. Hæc enim est ratio, propter quam Deus obligare non potest creaturam ex rigorosa justitia suam potestatem ordinariam, cum non possit se obligare, ut teneatur conferre dona sua creaturæ sub poena peccati injustitiæ commutativæ, neque cedere juri proprietatis in tali ordinaria potestate, quæ utpote identificata cum natura divina, est inabdicabilis ab ipso Deo, ex quo facile impugnatur nova Ripaldæ excogitatio.

506. Fit 4. Plurimum derogari satisfactioni Christi Domini, si concedatur, fuisse ex justitia commutativa saltem juxta principia, quæ plures defendunt cum Esparza lib. 8. de just. q. 20. ratio est, quia juxta principia ex Div. Thom. & Philolopho desumpta, sicut de conceptu justitiæ commutativæ ex æqualitas arithmetica, ita compensatio non debet esse æstimabilior, quam offensa, sed omnino æqualis cum illa; ideoque, R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

ut dixi à n. 15. de justitia, & jure, aliquæ sunt virtutes, quæ per defectum non continent illum conceptum, ut pridem jam denotaverat Bernal disput. 7. de Incarnat. sect. 6. Cum autem satisfactio Christi infinitum habeat excessum valoris supra valorem offensæ, ut constat ex dictis à num. 427. non pertinet ad justitiam commutativam, sed aliam virtutem non excludentem excessum compensationis, qualis est Dei fidelitas, Christi charitas, aut alia virtus, quæ tendentiam illam non excludat.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

507. Objices 1. Sæpè dicitur in Scriptura Deum remunerari merita justorum ex justitia, ut constat ad Rom. 3. 4. 5. Psalm. 10. & 2. ad Tim. ultimo; *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex; & sæpe alibi, in Conciliis & PP. sed nulla est assignabilis ratio, quare hæc non intelligantur de rigorosa justitia; ergo &c.* Respondeo conc. maj. nego min. quia nulla virtus admitti potest in Deo, cujus essentialis conceptus remanere non possit, si virtus depuretur ab omni imperfectione, cumque essentialis conceptus justitiæ commutativæ talis sit, ut depurari non possit ab omni imperfectione, siquidem ad justitiam commutativam unius contra alterum requiratur, ut alter applicatum habeat proprietatis dominium circa rem, quod relatè ad Deum supremum omnium Dominum, maxima esset imperfectio; exinde ea Scripturæ testimonia relatè ad Deum intelligi non possunt de justitia commutativa; idcirco intelligi debent de justitia protestativa juxta usitatam Scripturæ phrasim, & juxta doctrinam citati Trid. num. 490. & 492.

508. Objicies 2. Licet inter servum, ut servum creatum, & Dominum dari non possit justitia commutativa, nihilominus dari potest inter creaturam, & Deum; ergo testimonia Scripturæ possunt absque imperfectione intelligi relatè ad Deum de rigorosa justitia commutativa. Probitur antec. licet inter servum & Dominum creatum non possit intercedere amicitia, & jus ad hæreditatem, potest tamen intercedere inter creaturam, & Deum, & licet inter servum & Dominum creatum non possit intercedere ex justitia commutativa, poterit tamen intercedere inter Christum & Deum. Respondeo: nego antec. Ad probationem conc. antec. & nego conseq. ratio est, quia cum servitus unius creaturæ erga alteram sit accidentalis, & revera abdicabilis, ac proinde habeat titulos impositos à Lege præscribente manumissionem, quibus positus servus manumittitur, & servitus abdicatur, cumque tales sint tituli amicitiae, & juris ad hæreditatem Domini juxta Legem de manumissione, non potest in creatura

creatis juxta Leges conservari servitus concurrentibus illis titulis: cæterum cum servitus creaturæ relatè ad DEUM non sit accidentalitatis, sed essentialitatis, & inabdicabilis, tituli isti amicitia & juris ad hæreditatem Domini non possunt esse nihil ad manumissionem & abdicationem talis servitutis, ac proinde servi dici possunt retinere istos titulos cum ipsa servitute ad Deum, ideòque non possunt acquirere jus commutativæ justitiæ contra Deum, sed jus physicæ exigentiæ, quam habet gratia ad gloriam, & jus fidelitatis, qua Deus promittit annuere exigentiæ gratiæ, & meritorum condignificationi; quod satis constat ex dictis, & ex doctrina Tridentini tradita locis citatis numero superiori.

509. Objicies 3. Promissio conditione condigni operis obligat ex justitia commutativa promittentem ad conferenda dona promissa, si conditio adimpleatur; sed Deus promittit Christo sub conditione suorum meritorum conferre dona hominibus, & Christus adimplevit conditionem; ergo DEUS vi talis promissionis manet obligatus ex justitia commutativa ad conferenda ea dona; min. & conseq. renent, major probatur; quia aliter promissio non distingueretur à simplici proposito; ergo &c. Confirmatur anima Christi erat libera ad ponenda vel non ponenda sua merita, ac proinde habebat dominium circa ea merita; ergo promissio Dei relatè ad tale Christi dominium potuit esse justitia commutativa. Resp. dist. maj. si sit promissio, qua dominium promittentis abdicetur, omitto; si sit promissio impotens abdicare dominium promittentis, nego maj. & dist. pariter min. nego conseq. Ad probat. nego antec. quia simplex propositum non requirit conditionem ullam ex parte promissionis, qualis requiritur in casu nostro.

510. Itaque promissio divina cum non possit abdicare ullum jus proprietatis Dei circa res creatas, non potest pertinere ad pactum justitiæ commutativæ, sed pertinebit vel ad simplex propositum, si Deus id promittat absque ulla actione onerosa ex parte promissarii, vel ad fidelitatem compensativam operis ad æqualitatem, si respiciat pro conditione opus condignum, quo in casu fidelitas Dei ipsam obligabit, non autem ullum jus proprietatis ex parte creaturæ, cui facta est promissio; at inter homines ea pacta, quæ directè tendunt ad abdicandum jus proprietatis, quod in illis est accidentale, & abdicabile, ita, ut promittens vi promissionis, statim, atque adimpleta est conditio, extinctum habeat jus proprietatis, neque circa rem illam in ipso maneat legitima facultas directè, & principaliter ordinata in bonum suæ libertatis ad restringendam moraliter per suam voluntatem libertatem alterius, sunt puncta pertinentia ad justitiam commutativam; unde hac in re nulla fieri potest paritas à creatura ad Deum, quamquam si pactum hujusmodi non esset, neque hoc modo creaturæ ex promissione sua se obligarent, sed

tantum ex fidelitate, posset fieri paritas, & appareret, quomodo plures promissiones non pertineant ad justitiam commutativam, sed tantum ad fidelitatem, ut diximus num. 40. Ad Confirmationem dist. antec. erat libera tanquam instrumentum liberum à servitute, & dominio proprietatis Dei, nego; tanquam instrumentum liberum, subjectum tamen servituti, & dominio proprietatis Dei, conc. antec. & nego conseq. nam instrumentum liberum, subjectum tamen dominio proprietatis Domini, quidquid acquirit, non sibi, sed Domino acquirit, ut patet etiam in creatis in servo qua tali.

Objicies 4. Repugnat absoluto dominio Dei, quòd Deus unicuique hominum jus suum tribuat, ac proinde quòd tribuat Christo Domino jus suum; sed justitia commutativa nihil est aliud, quàm constans voluntas jus suum unicuique tribuens; ergo inter Deum, & Christum intercessit rigorosa justitia commutativa, ac proinde Christus satisfecit Deo ex rigore justitiæ commutativæ. Resp. dist. maj. quòd Deus jus suum unicuique hominum tribuat, quod sit jus proprietatis contra Deum, conc. quod sit simplex usus facti relatè ad Deum, & jus proprietatis contra alias creaturas, nego maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia ad justitiam commutativam non sufficit quæcunque sitas, sed requiritur illa, vi cuius res aliqua reponatur sub jure proprietatis istius contra alterum, contra quem dominium acquirit; cumque id omnino repugnet in creatura relatè ad Deum, exinde planè repugnat absoluto, & pleno dominio Dei, quòd Deus jus suum unicuique hominum, vel ipsi Christo tribuat ex justitia commutativa contra Deum.

Objicies 6. Peccatum lethale continet commutativam justitiam contra Deum; ergo satisfactio condigna pro illo, qualis fuit Christi, debuit esse ex rigorosa justitia commutativa. Respondeo conc. antec. & nego conseq. quia ad justitiam sufficit non ponere, quod tenemur ponere ex jure proprietatis Dei; cumque creatura eò ipso, quòd peccet, non ponat, quod tenetur ponere ex jure proprietatis Dei, committit injustitiam contra Deum; at verò ad acquirendam justitiam commutativam contra DEUM non satis est ponere, quod ex jure suo exigit DEUS, sed ulterius requiritur, ut ex jure apponendi tale opus, & reponendi illud sub dominio DEI, extinguam jus proprietatis DEI contra me; cumque tale jus proprietatis DEI contra me nequam possim extinguere, cum qualibet creatura, ex titulo creaturæ maneat semper tota, quanta est, subjecta dominio proprietatis Dei, exinde nulla creatura neque anima Christi Domini potest acquirere jus proprietatis contra Deum; idcirco ad condignam satisfactionem non requiritur, quòd compensem ex justitia commutativa, si peccem contra justitiam commutativam; sed satis est, si reddam rem æqualem, ut compensatio sit in actu primo ad-

quata, si nostra peccata intemperantiæ sufficienter compensantur per actus satisfactorios Christi Domini. Ex dictis.

§ 13. Fit 1. Opus non esse ad perfectissimam, & condignam satisfactionem, quod Christus satisfaciatur ex motivo formali omnium virtutum, quibus formaliter opponuntur peccata lethalia contra Deum comissa, sed sufficere, si satisfactionem reddat æqualem, ad quamcunque virtutem pertineat. Quod evidens est in peccatis infidelitatis, pro quibus Christus satisfecerit, Christus enim cum esset viator simul, & comprehensor, non habuit habitum fidei, ut diximus à num. 553. de fide, ac proinde non elicuit actus fidei, per quos intra eandem virtutem satisfaceret condignè pro peccatis infidelitatis; unde satis erat, ut apponeret satisfactionem æqualis valoris, quam Deus juxta pactum admittere tenetur, non verò secluso pacto; nam quamquam ea satisfactio haberet vim motivam simpliciter infinitam, erat tota ea vis debita Deo, ut constat à num. 498. & nemo tenetur solvere, quod est debitum, licet illud revera amet, ut patet in creaturis, se, resque suas amantibus, licet res suas non teneantur solvere, & in DEO necessariò amante se ipsum.

§ 14. Fit 2. Adimpletionem conditionis per merita & satisfactionem Christi, ut teneatur Deus satisfactionem illam pro peccatis nostris admittere, debere esse talem, qualis comprehenditur in pacto inter Deum, & Christum, de quo dixi à num. 474. cumque in eo pacto exigere, ut Christi merita morte sua consummarentur, ut constat ex num. 469. idè Deo non tenebatur admittere satisfactionem, nisi ea merita Christi essent morte sua consummata, & confirmata, quod significavit Apost. ad Heb. 10. cum dixit, *una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, & Joan. 19. *cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit consummatum est, & inclinavo capite tradidit Spiritum*, consummatum quidem fuit, quod dictum erat de filio hominis, & in pacto inclusum usque ad mortem, & cum statim mortuus est, ut consummaret, & novo, ac firmo testamento confirmaret pactum initum inter ipsum, & Patrem, ut dixi num. 489.

§ 15. Fit 3. Christum satisfecisse Patri ex fidelitate, qua vi pacti se obligavit, atque ex honestate speciali in ipso pacto inclusa, qua se obligavit ad dandam satisfactionem æqualem pro peccatis, & quidem talem, qualem Pater exigebat: cum enim in hoc appareat specialis honestas actus laudabilis, quæ reperiri non potest relatè ad ullum actum virtuosum pure creature; cum nulla pura creatura possit reddere æqualem satisfactionem pro peccatis, non est ratio, cur non admittamus in Christo Domino specialem virtutem respicientem ad peculiarem honestatem actus laudabilis, cum istud fuerit magnum Christi Domini opus, atque ex hac ratione multiplicandæ sint

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

virtutes juxta doctrinam Divi Thomæ 3. Part. quæst. 85. art. 2. & 3. Nec exinde excludimus motivum aliarum plurium virtutum, nempe charitatis, religionis, obedientiæ, & aliarum; cum hæc omnia motiva Christus perfectissimè habuerit, atque ex eorum honestate egisse sæpè mentio fiat in Scriptura, neque unum motivum cum altero sit incomponibile; unde congruum est censere, ex his omnibus obtulisse Patri suam satisfactionem.

§ 16. Fit 4. Deum retribuuisse Christo ex fidelitate, qua vi pacti se obligavit ad retributionem, atque etiam ex motivo aliarum virtutum, quas Deus voluerit exercere in retributione, & certè exercuit motivum charitatis, quo respiciunt omnia opera divina ad extra juxta illud proverb. 16. *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus*; & respexit etiam Deus excellentiam Christi Domini satisfaciens; & supplicantis juxta illud Pauli ad Heb. 5. *exauditus est pro sua reverentia*; nec in his opus est ulterius immorari; nam cum Deus liberè potuerit habere alia motiva virtutum, & alia non habere, de his, quæ ex Scripturis, PP. aut Conciliis nobis non constant, solum dicere possumus habuisse ea, quæ voluit. Vide hæc omnia ad justitiam comutativam pertinentia, clariùs discussa in Tractatu de justitia & jure à num. 517.

### SECTIO III.

#### De essentia & proprietatibus satisfactionis Christi.

§ 17. Quamquam ex dictis appareat facilis hujus tituli decisio, est tamen difficilior, quam appareat. Quærimus enim, quid sit formaliter Christum pro nobis satisfecisse? difficultas cognoscetur ex ratione dubitandi, quam sic propono. Videtur enim hoc inexplicabile, nam vel Christi satisfactio consistit in eo, quod nobis meruerit offensæ remissionem, vel quod nos à Dæmonis potestate liberatit, vel in utroque simul? atqui nullum horum trium videtur asseri posse; ergo neque videtur explicari posse, in quo consistat Christi satisfactio: min. quæ tria membra continet, probatur per partes. Primum quidem dici non potest; quia si Christus meruisset nobis offensæ remissionem, vel Deus nobis omnibus remisisset offensam, quod est hæreticum, vel fuisset iniquus, & infidelis, quod est blasphemum, & quidem sicut solutione tollitur debitum, ita satisfactio tollitur offensa. unde sicut facta æquali restitutione, necesse est, ut creditor ab exactioe pretii se absteineat, vel justitiam, aut saltem fidelitatem suam lædat, sic exhibita condigna satisfactio, quam Deus promissit admittere, necessarium videbatur, ut Deus vel ab offensa desisteret, vel infidelis esset; neque secundum dici potest; quia Dæmonum nullam in homine videtur habuisse potestatem, aut si

quam olim habuit, eandem nunc retinere videtur, unde colligitur, nec tertium dici posse. Cæterum ad hæc omnia clarè explicanda

518. Suppono 1. Cum omnibus Catholicis Christum non obtulisse Deo suam satisfactionem, ut remitterentur omnia peccata, statim atque illa acceptaretur in adultis mediante illorum dispositione, nempe cooperando auxiliis gratiæ per Christum acceptis, & eorum operibus adjunctis Christi meritis; atque in parvulis mediante Sacramento Baptismi in re, vel in voto (quod addo propter Martyrium) in quo applicantur illis merita Christi, absque ulla prævia parvulorum dispositione in adultis, qui baptizantur, prærequiritur voluntas suscipiendi baptismum; & si actualiter peccaverunt prærequiritur etiam contritio præscindens à perfecta, & imperfecta, quæ est actus penitentiam, ut constat ex illo actorum 2. penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi in remissionem peccatorum vestrorum, quod explicat latè Tridentinum seiss. 6. cap. 56. sic etiam in veteri lege institutum fuit aliquod signum externum, quod erat figura Baptismi (talis fuit circumcisio inter Hæbreos) ut per gratiam collatam ex meritis Christi absolute prævisis remitteretur originale. Hæc intellige de lege ordinaria: nam ex speciali privilegio merita Christi potuerunt aliter applicari. Sic Joannes Baptista sanctificatus fuit in utero Matris. Sic etiam Deipara ex meritis Christi sanctificata fuit in primo suæ Conceptionis instanti.

519. Suppono 2. Christi satisfactionem pro nostris peccatis aliquid aliud habere præter id, quod præcisè requiritur ad peccatorum remissionem; ratio est, quia si Deus per puram condonationem extrinsecam remisisset peccata, eò ipso deposuisset inimicitiam, & nullus homo maneret peccator. At satisfactio Christi non tantum tendit ad peccatorum remissionem, sed etiam ad infusionem gratiæ, & donorum, quo peccator ex injusto fit justus, amicus Dei, & hæres vitæ æternæ. Hæc autem Christi satisfactio est efficax relatè ad illos, qui cooperando auxiliis ex merito Christi acceptis assequerentur gratiam, & remissionem peccati, & vitam æternam; est autem inefficax relatè ad illos, qui auxiliis collatis resistunt, & vitam amittunt, quæ etiam distinctio observanda est relatè ad parvulos, quia aliqui eorum cum Baptismo, alii absque eo decedunt; quomodo verò ex parte Dei dispensentur omnibus sufficientia media ad salutem, dixi in Tractatu de gratia à num. 145. His positis

520. Affero 1. Satisfactio Christi Domini essentialiter sumpta stat in eo, quòd Christus suorum meritorum, & operum, quæ continebantur in pacto, obtinuerit media sufficientia omnibus ad salutem consequendam, ita ut quantum ex parte sua, neminem excludat à vitæ æternæ, nec ex sola sua determinatione neget media ad

illam obtinendam. Probatum 1. Satisfactio Christi essentialiter sumpta debet esse æqualis saltem offensis contra Deum commissis, ut vi illius DEUS offensam remittat tanquam vi pretii æqualis pro remissione, ut constat ex num. 307. insuper talis esse debet, ut ea sumpta possint homines, si per nos non steterit, vitam æternam obtinere, quam quidem in hoc statu elevationis obtinuerunt, si non intercessisset peccatum; sed hæc omnia comprehenduntur assertione nostra; ergo &c. Confirmatur. In hac providentia Deus non vult remittere peccatum, nisi infundendo gratiam, neque vult homines in statu puræ naturæ, sed in statu elevationis, ita, ut si non habeant supernaturalem beatitudinem, aut gloriam æternam, sint reverà tanquam à regno, & hæreditate paterna exclusi, & damnati, vel penà damnati tantum, ut contingit in parvulis, vel etiam penà sensus, ut in adultis in peccato decedentibus, ac proinde satisfactio Christi exigebatur, ut homo haberet gratiam remissivam peccati, qua posset consequi vitam æternam, sed hoc fieri non poterat, nisi Christi satisfactio obtinuerit, quantum ex parte Dei, ea omnia pro hominibus ita ut Deus, quantum est ex parte sua, nemini negaret gratiam, & media requisita ad obtinendam vitam æternam; ergo &c.

Probatum. Satisfactio Christi essentialiter sumpta aperuit nobis Cœli januas, quas peccatum clauserat; unde usque dum hæc satisfactio morte Christi consummata fuit ex dictis à num. 489. nullus hominum obtinuit beatitudinem, quò respexit Christus Lucæ 24. dicens: *non oportuit pati Christum, ut ita intraret in gloriam suam, quasi diceret per mortem, & passionem consummavi satisfactionem à Patre exigitam, quod necessarium erat, ut Cœli portæ aperirentur, quod etiam indicatum fuit illis verbis Psalm. 53. attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & intrabit Rex gloriæ; quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ; cumque iste sit finis noster, atque ad finem necessaria sint media satisfactio Christi essentialiter sumpta tendebat etiam ad media nobis necessaria, ita ut Deus ex parte sua, sive ex sola sua determinatione nemini negaret ea media, sine quibus salus æternæ obtineri non poterat: his enim deficientibus non poterant homines ad amicitiam, & hæreditatem Dei pervenire; quamvis vellent; sicut pervenissent, si non intercessisset peccatum; ergo satisfactio Christi essentialiter sumpta hæc omnia comprehendit.*

Confirmatur. Christus satisfactione sua obtinuit adultis auxilia necessaria ad consecutionem vitæ æternæ, & pro parvulis obtinuit etiam, ne ex sola determinatione Dei impediatur susceptio Baptismi, quò possent vitam æternam obtinere: tum etiam vi illius satisfactionis factum est, ut qui post Christi Ascensionem à vitæ æternæ decederent mundi à peccatis, non amplius clausas haberent Cœli januas, juxta ea omnia, quæ

quæ inclusa fuerunt in pacto inter Patrem, & Christum inito, ac proinde si alicui deficiant media ad salutem <sup>1.</sup> inendâ, non quidem Deo, sed causis secundâ impurandum est juxta illud Osee 13. *perditio tua Israël; tantummodo in me auxilium tuum*, ut diximus latè agentes de gratiâ à num. 187. & 211. Unde licet ante mortem Christi aliis jam fuissent concessa auxilia, nemini horum apertæ fuerant januæ clausæ peccatorum, usque dum exercitè apposita fuit, & consummata Christi satisfactio; ergo satisfactio Christi essentialiter sumpta hæc omnia complectitur.

525. Quamobrem media propter Christi satisfactionem conferenda talia sunt, qualia exigebat Christus applicando suam satisfactionem, juxta promissionem Patris paciscentem cum Christo; unde cum Christus non solum postulaverit media sufficientia pro omnibus, sed etiam efficacia pro aliquibus; sicut etiam quandoque pro uno eodem aliqua efficacia, & aliqua purè sufficientia; hæc omnia concessa sunt ex meritis Christi Domini, ita tamen, ut exinde non excludatur ad ultimū cooperatio; nam, ut dixi à num. 319. Christus applicare voluit suam satisfactionem ad modum causæ universalis, quæ, licet sit infinitæ virtutis, non exinde excludit concursum causæ particularis. Sic omnipotentia Dei, quamvis sit virtus infinita, non se exercet cum causis secundis, nisi admitendo ipsarum cooperationem; ex quo impugnantur Hæretici negantes necessitatem bonorum operum, quasi per illa deogeret infinitæ dignitati satisfactionis Christi, quod falsissimum esse constat ex dictis de causâ universali, cujus munus obtinet Christi satisfactio ex ipsius applicatione, & pacto cum Patre.

524. Affero 2. Christus Dominus satisfactione sua non solum obtulit condignum pretium pro peccato, sed etiam nos redemit, & eruit à potestate Dæmonis. Hic conceptus dici solet pertinere non quidem ad essentiam, sed proprietatem satisfactionis; quidquid de hoc sit. Probarur 1. Conclusio, si propter aliquam rationem non posset verè & propriè dici Christum nos eruisse à potestate Dæmonis, esset idè, quia si homines tenebantur sub Dæmonis potestate, debuisset pretium offerri Dæmoni, qui captivos tenebat omnes, quod contumeliosum est, non verò Patri, cujus captivi non erant, quæ est difficultas Gregorii Nazianzeni orat. 42. Ubi hæc habet Quod si Redemptionis pretium non alii ulli, quàm ei, qui captivos tenet, persolvitur, quæro cui tandem oblatum est, & quam ob causam? si pravo illi, nampe Dæmoni captivos nos tenenti; & gravem contumeliam! si autem Patri primum, quomodo id factum est? neque enim ab ipso tenebamur, atqui, ut Christus nos redimeret, ut erueret à potestate Dæmonis, non erat persolvendum pretium Dæmoni, sed Patri, quandoquidem Dæmon erat quasi Minister, & Tyrannus ex permissione Patris, usque dum

Deo daretur condigna satisfactio: ergo sicut ministro principis custodienti carceratos non est persolvendum pretium, sed principi, ita ad eruumdum nos à potestate Dæmonis, non erat persolvendum Dæmoni, sed Patri.

525. Probarur 2. Nostra captivitas sub potestate Dæmonis, quam definit Innoc. II. in Epist. S. Bernardi, ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. & 2. à qua Christus nos liberavit juxta illud Joan. 22. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, & ad Coloss. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum*, in eo sita fuit, quod per Adami culpam Diaboli suggestione commissam, & ad nos cum natura ipsa transitam contraheramus debitum indignitatis ad gratiæ subsidia, nec ea Pater, absque condigna satisfactione dari volebat, ut possemus resurgere ab illa culpa, quæ in Adamo actualis fuit, & in nobis originalis, unde deficiente ea condigna satisfactione maneremus semper sub Vexillo Diaboli, è quibus Christus nos eripuit obtinendo auxilia, quibus si velimus, possumus ex Christi meritis à peccato resurgere, & sub Dei Vexillis militare. Idcirco totum nostrum debitum, & captivitas erat propter peccatum contra Deum commissum; ergo ut eriperemur, à captivitate, & peccato satisfaciendum, & offerendum erat pretium Deo, & non Dæmoni, non enim offerendum erat illi sub cujus Tyrannide capivi detinebamur, sed illi contra quem debitum contraximus; unde cum hoc pretium Christus persolverit Patri redemit nos, & eruit à potestate Diaboli. Hæc dicta sint de nostra redemptione, non verò de redemptione Deiparæ, quæ nunquàm fuit sub Diaboli potestate, atque adeò non fuit redemptio reparativa, sed præservativa.

526. Ob. contra primam assertionem: ex ratione dubitandi proposita num. 517. Christus non meruit nobis offensæ remissionem, siquidem post mortem Christi plures perseverarunt in suis peccatis; ergo non bene explicatur à nobis essentia satisfactionis Christi. Resp. dist. ant. non meruit nobis peccati remissionem, ita ut remissa manerent peccata absque ulla nostra cooperatione, conc. ita, ut si velimus ex parte nostra uti mediis vi satisfactionis Christi à Deo concessis non possemus ex meritis Christi se habentibus, ut causa universalis, obtinere remissionem peccati, nego antec. & conseq. ratio ex dictis est; quia Christus satisfactionem suam non obtulit Patri, ut vi illius Pater absque ulla cooperatione nostra peccata remitteret, sed ut per ipsum non staret, ne haberemus media sufficientia, quibus pro libitu nostro possemus à peccato resurgere, & salutem obtinere, quamquam enim satisfactio nostra satis non esset ad obtinendam remissionem peccati, at conjuncta cum Christi satisfactione, quæ se habet, ut causa universalis omnium nostrarum satisfactionum, sufficientissima est, ac proinde in hoc sensu à Christo intento verè, & propriè sa-

satisfecit pro nobis, & ex ipso facile intelligitur essentia suæ satisfactionis à nobis exposita.

527. Objicies 2. contra secundam Assertionem: si tota nostra captivitas esset ratione debiti contracti per peccatum, & Christus ab illa nos eripuisset obtinendo nobis auxilia modo supra explicato, nunquam homines fuissent sub Tyrannica potestate Dæmonis adhuc in lege veteri, hoc est contra Verba Christi, qui Joan. 22. dixit; *nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*; ergo malè explicatur à nobis, quomodo Christus nos redemerit, & eruerit à potestate Dæmonis. Probatur maj. Christus non solum obtinuit ea auxilia nobis, sed etiam reliquis in lege veteri; ergo homines legis veteris non fuissent captivi, sed erepti semper à Tyrannica Dæmonis potestate. Resp. nego maj. ad probationem dist. antec. reliquis in lege veteri obtinuit auxilia abundantia, & intensa, qualia nobis obtinuit, nego, rariora, & remissiora conc. antec. & nego conseq.

528. Ratio est, quia actualis captivitas magnam habet latitudinem, etenim ante Christi Adventum rariore erant, vel saltem remissio-

res vocationes tum infidelium ad fidem, tum fidelium ad sanctitatem, neque illis erant aperta Januæ Cœli, atqui in Cœli reclusione, atque raritate vocationum, & inefficacitate consistebat summa durities actualis captivitas; at verò post Christi Adventum, Dominus suus, & suorum prædicatione, & exemplis mundum illuminavit, & ardentiores illi inspirationes concessit, magnaque ei reliquit præsidia contra Dæmonem institutione Sacramentorum. Atque in Ascensione sua sibi, & nobis aperuit Januas Cœlorum. Unde ante Christi Adventum Dæmon erat magis solutus; & hæc erat summa durities illius captivitatis, de qua loquitur Christus, à qua in lege Evangelica erepti sumus abundantioribus auxiliis, & mediis conducentibus ad salutem, quæ per satisfactionem suam Christus nobis obtinuit. Unde licet in lege veteri erepti essent ab aliqua captivitate illi homines per Christum, non tamen erant redempti à durissima servitute, à qua in lege nova Christus nos eripuit, vide Exim. Doct. in lib. 14. de leg. cap. 18. & Bernal, disp. 13. de Incarnat. sect. 2.

\* \* \*

## DISPUTATIO XIII.

### DE CONSTITUTIVO HYPOSTATICÆ UNIONIS, ET COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

#### SECTIO I.

##### De Unione hypostatica.

529. **P**Lura consideranda sunt in Christo Domino, sive Mysterio Incarnationis, nempe natura humana, Verbum Divinum, & Unio hypostatica. Quantum ad Unionem attinet, certum est apud omnes Catholicos, eam esse substantialem, quandoquidem istud compositum Christus, est totum substantiale, & per se, natura humana etiam est adæquata in ratione naturæ, ac proinde continet materiam, formam & unionem inter utramque, at non continet creatam personalitatem, nam Christus Dominus una tantum est persona divina, licet contineat duas naturas, alteram divinam, alteram creatam, unitas in Verbo divino, quod extremum est substantialiter unitum humanitati, cum qua constituit totum istud per se. Agimus in hac disputatione de unione prout concurrat ad constitutionem compositi substantialis unius, fundatque communicationem idiomatum, & in sequenti agemus de extremis hujus unionis. Hæreses, & errores contra constitutionem hujus Mysterij refutavimus à num. 180. & 296. quamobrem hic solum disputabimus de his controversiis, quæ apud Catholicos in lite sunt, quia tamen circa unionem hypostaticam plures sunt controversiæ ab hac incipimus.



**P**lures sunt Doctorum sententiæ circa Unionem hypostaticam. Prima docet non distinguere realiter ab extremis scilicet humanitate, & Verbo, ita Valentia, Martinon. Wading. & communiter Thomistæ, quos sequuntur Gonner disp. 6. art. 3. num. 45. Secunda eam distinguit realiter ab extremis, ita ferè omnes nostri cum Exim. Doct. & Scotistæ cum Scotto, pluresque Thomistæ cum Divo Thoma quæst. 2. art. 7. Tertia sententiæ quasi media est aliquorum recentium Thomistarum, cum Gody dicentium, humanitatem uniri Verbo per unionem realiter distinctam, licet Verbum ea unione non indigeat, ut uniatum intrinsece humanitati.

Assero 1. cum secunda sententiæ: unio hypostatica est modus substantialis distinctus realiter ab extremis. Probatur 1. Ut dicitur Joan. 1. *Verbum Caro factum est*, atqui Verbum Caro fieri non potuit absque unione distincta à Verbo, & carne sive humanitate; ergo unio hypostatica est realiter distincta à Verbo, & humanitate. Probatur min. Verbum non potuit fieri caro, quin aliquid fieret præter ea omnia, quibus factis nondum verificaretur Verbum Carnem factum fuisse, sed omnia alia potuerunt.